

De stupendis, & prodigiosis tum urbium, tum turrium, hortorumque miraculis, à Nino, & à Chusi filii, & Semiramide post mortem Nembrod extractis.

CAPUT I.

De Nino, ejusque rebus gestis.

Qualis fuerit Ninus Rex Assyriorum.

**D**E Nino, primo Assyriorum, atque adeo totius mundi imperatore, variae sunt tum apud sacros, tum apud profanos auctores, narrationes. Nos Herodotum, Diodorum Siculum & Strabonem secuti, quid de eo sentiamus, paucis aperiamus. Itaque, quemadmodum in Arca Noë tradidimus, nos credimus, hunc Ninum esse illum, quem Sacra Scriptura Genes. cap. X. vers. 11. vocat Assur, qui cum exercitu exiisse dicitur de terra Senaar, id est, de Babylone, ubi regnaverat pater ejus, & subactis Assyriis, aedificasse in Assyria civitates ibidem nominatas, & unam praeter ceteras magnam, quam ex nomine suo appellavit Niniven, in qua de Babylone sedem regni sui transtulit, ac deinceps Assur, hoc est, Assyriorum Rex nuncupari coepit. Ceteras ipsius Nini res gestas multas admodum, & praecelaras breviter ex Ctesia Cnidio recenset Diodorus Siculus lib. II. rerum antiquarum, cap. 1. ubi sic ait: Primus Rex Assyriorum, scriptores nactus est Ninus, qui ejus gesta literis traderent. Is naturam bellicosus, & virtutis appetens, cum primum robustissimos juvenum, plurimorum temporum, armorum usu, ad omnem laborum patientiam, & belli pericula exercuisset, coacto exercitu, societatem inivit cum Arico Arabum Rege. Et post pauca subjungit: Ninus igitur Arabum Rege assumpto exercitum duxit adversus Babylonios Arabiae conterminos. Nondum enim condita erat Babylonia, sed a-

Diodorus Siculus.

lia circa nobiles urbes incolebantur, quibus propter armorum desuetudinem facile superatis, tributoque imposito Regem eorum cum filiis captum interemit. Deinde quibusdam Armeniae urbibus in potestatem redactis, Barzanes Rex Nino viribus impar, cum multis donis occurrens, & se, & regnum ejus potestati permisit. Huic Ninus, magno usus animo, Armeniae regnum restituit, comiteatu, & militibus impetratis. In Mediam deinde auctis viribus transgressus, cum ei Farnus Rex cum exercitu occurrisset, praefilio victum, cumque uxore, & septem filiis captum, cruci affixit. Prospera fortuna elatum Ninum cupiditas cepit totius Asiae, quae inter Tanaim & Nilum jacet, potius; secunda etenim res, ut plurimum ambitiosas majorum ingerunt cupiditates. Itaque praeside ex amicis quodam Mediae imposito, ipse ad reliquam subjiciendam Asiam profectus, omnem annis decem & septem, praeter Indos & Bactrianos in potestatem redegit. Pugnas singulas, ac devictorum numerum nullus quidem scriptor tradidit. Nos, quae excellentiora feruntur, Ctesiam Cnidium secuti, paucis narrabimus: subiecit omnes maritimas, ac propinquas gentes, Aegyptios, Phoenices, & interiorum Syriam, Ciliciam, Pamphiliam, Lyciam, Cariam, Phrygiam, Misiyam, Lydiam, Troada, & Phrygiam, quae est super Hellespontum, Propontida etiam, ac Bithyniam & Cappadociam, & gentes juxta Pontum barbaras, usque ad Tanaim

Nini bella adversus varios Reges.

Farnum Regem filium cruci affixit.

Quam regionem subiecit sibi.